



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Septem Illustrium Virorum Poemata

Amstelodami, 1672

Lusus Albanus, Sive Porticus Vaticana. Ad Stephanum Gradium
Ragusinum, Bibliothecae Vaticanae Custodem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11215

LUSUS ALBANUS,

SIVE

PORTICUS VATICANA:

*Ad Stephanum Gradium Ragusinum, Bibliothecæ
Vaticanae Custodem.*

Collibus en iterum longæ confedimus Albæ,
Mens ubi fessâ, velut Nilo huc advecta per altum
Nuper avis, gravibus respirat libera curis.
Salve Nympha lacûs vitrei: salvete recessus
Fortunatorum nemorum, quò noster Iolas
Ducere oves pastum, pastas mulcere solebat
Carmine, quod curvis habitans in vallibus Echo,
Cumque Echo nivei referebant carmen olores.
Nostra quoque hîc olim juvenilis lusit avena:
Stridula avena quidem; tamen illam Principis aures
Dignatæ, atque ovium soliti laudare magistri,
Et, nisi fallit amor, Latio regnare ferebant.
Hunc tibi Pieridum lusum, Vatum optime, Gradi
Sospite quo, nunquam subito telluris hiatu
Mcenia versa, & opes Epidauri stare putabo;
Offerimus magni quanquam leve pignus amoris.
Huc ades, & rudibus nostris tua culta vicissim
Carmina junge, graves animi minuentia curas.
Mox Graiûm studia, & Sophiæ monumenta resumes;
Utque voles, tetricæ studiis Te redde Minervæ.
Urbs in prospectu est. Pulcrâ dabit illa canenti
Materiem Vati, cum sit pulcherrima rerum.

G

Mull

Multa quidem occurrunt oculis decora inclyta nostris
 Digna cani; hunc sed præcipuum sibi poscit honorem
 Quæ Vaticano dat se de colle videndam
 Tercentum niveis moles operosa columnis.
 Hanc ego carminibus molem, si dexter Apollo
 Magnanimos audit nisus, super ardua Cyrrhæ
 Inter odoratum lauri nemus, æmulus Orphei
 Traducam, Ausoniis spectaclum dulce Camænis.
 Illæ ubi miratæ sumptus, operisque laborem
 Immenfum, merito laudarint carmine saxa,
 Artificesque manus, incident marmore in omni
 Nomen ALEXANDRI, quod nulla injuria, nulla
 Vis abolere queat: Nam tempus & invida Clotho,
 Et situs & caries, pomisque nocentibus orta
 Pallida mors, longè felicibus exulat arvis.
 In medio simulacrum ipsi de marmore Lunæ
 Constituent, quod Tarpeia ter in Arce quaterque
 Ponere servati Cives voluere merenti.
 Sed renuit mortale decus, perituraque dona,
 Atque unum hoc votis non annuit Ille Quiritum.
 Res inopina trahet veteres ex ordine Vates,
 Cognita qui famâ præsentis ora tueri
 Gaudebunt, cupidi vultu cognoscere in uno
 Quisque suum, floresque novos, mansuraque magno
 Serta ferent capiti, laudesque & carmina dicent.
 Postquam Arces Solymæ victor Romanus ab imo
 Diruit, ac dudum sceleratis debita terris
 Supplicia explevit læsi ætheris ultor, & illud
 Tot florens opibus quondam, luxuque superbum
 Regifico templum extremos confedit in ignes;
 Sanctius hoc aliud Latiis sibi destinat oris
 Æthereus Pater, & ritu meliøre colendum,

Quo collectæ omnes utroque ab litore gentes ;
 Mitescant animis, & verum Numen adorent.
 Nimirum hoc animo reputans ab origine rerum ;
 Non solum mare per vastum, per inhospita regna
 Jufferat huc Petrum solium transferre verendum,
 Et Vaticano fidei primordia nostræ
 Firma locare jugo, cum tristia fata subiret
 Prodigus innocui pro religione cruoris ;
 Verum etiam invictos animis, belloque feroces
 Fecerat Æneadas, tuleratque in luminis auras
 Scipiadas, Marios, acres & ad arma Metellos,
 Sub juga qui Cimbro traherent, Garamantas & Indos ;
 Ut cum olim veterum lapsâ virtute Quiritum,
 Sequana, & Albis, & infidi septem ostia Nili
 Jura recusassent ruptis Tarpeia catenis,
 Ferre sacrum Imperium, vellent pia vincula, dulci
 Vi Superum gentes, & religione subactæ.
 Ergo ubi post cædes atque effera facta Neronum
 Ad secura gregem collegit ovilia Pastor
 Maximus, & Christi se Constantinus ad aras
 Prodigis actus cælestibus, amne piavit ;
 Condere mansurum, cæloque educere templum
 Cura fuit, labor huc omnis consumptus, & omne
 Ingenium, quantumque artis rude protulit ævum :
 Huc Arabum gazæ Numidumque exhausta metalla :
 Donec temporibus miseris felicior ætas
 Successit, centumque hyemes perpeffa malignas
 Tybridis in gremio puppis Galilæa quievit.
 Tum verò, veteris disjecto culmine tecti,
 Julius antiquos animo prægressus Iulos,
 Majus adortus opus, quod post tot lustra, tot auri
 Flumina sudorisque virum diffusa, peractum

Cernimus, immanemque tholum miramur & artem
 Ignotam Proavis. Stat vasto machina dorso
 Horribilis visu: Nec solùm despicit omnes
 Quot Latio surgunt nebuloso vertice montes;
 Sed super aërias sacrum caput extulit Alpes.
 Deerat adhuc operi tanto par ambitu & arte
 Porticus, in magni formam sinuanda Theatri
 Ante fores templi; sed enim vix tempore prisco
 Cæsaribus tentanda, togæ cum paruit orbis,
 Molibus & Latiis rerum est famulata potestas.
 Unus ALEXANDER sæcli tutela ruentis,
 Ausus se dignam regnante capeffere laudem,
 Regificasque manus operi citus appulit, in quo
 Septima jam sudat magnis conatibus æstas.
 Ordine jamque pari surgens, paribusque recedens,
 Hinc atque hinc spatiis latè protenditur ingens
 Porticus, inque orbem redeuntia brachia curvat;
 Ceu curvat, fratrem fugiens argentea Phœbe
 Cornua, vel chelas cælestis Scorpius aureas:
 Apparent simili surgentes mole quaternis
 Ordinibus, Divûmque ferunt simulacra columnæ
 Arte pari, paribus spatiis distincta supernè.
 Altera pars, quorum sublimi in culmine contra
 Partem stare aliam, & concurrere velle videntur.
 Ut eùm se ad Scaldim, ripamve binominis Istri
 Adversæ sistunt acies; stat utrimque paratis
 Prælia deposcens animis ærata juvenus:
 Vir viro, equi minitantur equis, inimicaque signis
 Signa vides, ac tela micant contraria telis.
 At parte ex illa, quæ templum adversa tuetur,
 Mole minor, formâ nec eâdem, terminat orbem
 Porticus exterior, populoque utrinque relinquit

Ingentes aditus. Sic notus ad ostia Macræ
 Portus oliviferos curvato littore colles
 Explicat, ingentemque sinum maris insula claudit :
 Insula myrtetis lætissima, quam Venus oræ
 Accola Atlantæis avulsam fluctibus olim
 Creditur hîc instar clypei posuisse, tridentem
 Neptuni contra, sævumque Orionis ensem :
 Quò dilecta sibi regio, dum vertitur æquor,
 Servaret placidam ventis secura quietem :
 Triplex porticibus fornix includitur altis,
 Amplior & sanctos medius servatur in usus.
 Hîc verax, fictæ Cereris sub imagine, Numen
 Ostendit populo celsa de sede Sacerdos
 Maximus, & superis instaurat vota quotannis,
 Agmine Lanigerûm sacro, simul agmine sacro
 Linigerûm præeunte, modis, & passibus æquis ;
 Et post agmen utrumque Patrum incedente senatu,
 Hinc atque hinc, genibus positis ac supplice vultu,
 Cardine terrarum gentes ab utroque receptæ,
 Immotis cernunt oculis solemnia pompæ,
 Insolitosque cient imo de pectore sensus,
 Falsæ hic regnare, hinc populis dare jura Tonantem.
 At campi in medio moles Ægyptia in auras
 Tollitur, Alpheæ metas imitata palæstræ.
 Hæc immane latus magicis variata figuris
 Littore Niliaco steterat devota perustis
 Numinibus ; nunc auspiciis felicibus alium
 Ad Tiberim nostræ fert aurea signa salutis ;
 Ipsa quidem cùm cæsa putet nova Tiburis udi
 Marmora, quò facerent sibi ab omni parte coronam,
 Lætitiæ cupit arcanos expromere sensus,
 Fatidicasque notas sæclis aperire futuris.

Sed speciem augustam properatæ molis & artem
 Egregiam mirata filet, collataque celsis
 Porticibus tacitè ridet monumenta Sefostris.
 Quattuor hîc magni vasto sub pondere anhelant
 Linguam exertantes Ephyræo ex ære Leones,
 Mentoris, aut docti spirantia signa Myronis :
 Illorum effigies sæclis metuenda futuris,
 Quos Nero crudelis ludorum pavit in usus.
 Ah quoties juvenesque pii, castæque puellæ
 Numinibus dum thura negant adolere profanis,
 Dente fero vitam in mediis fudere theatris!
 Qui tamen impavidi lethum subiere : necemque
 Natorum sicco spectarunt lumine matres.
 A dextra lævaque pari discrimine & arte
 Assurgunt gemini, Nympharum gloria, fontes;
 Qui cæcum per iter longoque errore viarum
 Advectas jaculantur aquas : It ad astra perenne
 Flumen agens nimbos, tempestatemque serenam.
 Inde ruit, niveâque cadens aspergine circum
 Spargit humum pariter diffuso rore; sed ingens
 Urna procellosam subjecta recolligit undam.
 Ergo hîc Nympha omnis crinem lavit, atque ubi cælum
 Destituunt imbres, ex hoc Thaumantias iris
 Fonte bibit, radiisque novis ornatur, & arcu
 Gaudet ovans augere suo miracula Circi :
 Propterea non solùm operis molimina tanti
 Laudat ab extremo veniens Oriente viator;
 Ipsa sed attonitæ similis miratur & hæret
 Urbs, nihil in terris ævo mirata priori,
 Ornatuque recenti & honoribus Amphitheatri
 Lætatur, ceu sponsa novo ditata monili.
 Quin etiam hâc unâ compensat mole ruinas

Antiquorum operum, septem quæ collibus Urbis
 Strata jacent, quondam Imperii decora alta Latini,
 Nunc ignominiiis ignari obnoxia vulgus,
 Tenuia vix veteris servant vestigia formæ.
 Sive illa exedit sensim longæva vetustas,
 Aut pessum insultus terræ cælique dedere;
 Seu notos vultus Atavorum, & onusta catenis
 Colla recognoscens titulis insculpta superbi
 Victoris, ferro disjecit barbara pubes.

Magna quidem sunt ista tuæ, ter maxime Princeps,
 Facta manûs; sed Musa tuas hoc ducere laudes
 Fonte negat: majora vocant, quibus illa canendis
 Veridicam plectro citharam percurrat eburno,
 Teque novum fortunatis decus inferat astris.
 Hæc ævo tandem vel fulmine victa labascunt;
 Et laudem si saxa queant, nomenque parare;
 Clarius atque alias inter sublimior urbes
 Memphis erit. Neque Pompeium fecere verendum
 Gentibus eductæ cæli ad confinia moles;
 Sed Libye, victusque Oriens, & Ibericæ laurus;
 Sed purgata metu maria, & servire coactus
 Parthus: eritque tuo dehinc notior ille cothurno,
 Quàm fuit ante suo Romana per ora teatro.
 Hæc monumenta ruent. Sed quantum dente maligno
 Molibus his audax paulatim deteret ætas,
 Ingenuâ tantum linguâ (crede) afferet olim
 Laudibus æqua tuis. Nam rerum fama tuarum
 Vivet, & occulto crescet felicior ævo.
 Non etenim ad meritos patefactum limen honores
 Artibus egregiis, templa instaurata, decusque
 Antiqui Latii, servatam sæpius Urbem,
 Sparsum aurum in populos, tectas tela impia contra

Sarmatiam Helvetiamque, & pulsa pericula terris,
Auspiciis opibusque tuis Thracum arma repressa,
Pacatas latè gentes, nec cætera dextræ
Tot benefacta tuæ venientia sæcla silebunt
Interea si atram longè confurgere nubem
Impia portantem forsan Laurentibus arvis
Bella vides, dirumque nefas Acheronte moveri;
Parce metu; (quamvis ex alta despicias omnes
Arce metus, magnæque animæ formidinis expers
Robur inest) neu Thracis equos sibi nata negantis
Jura pave: si degenerem timor arguit omnem
Hesperiam, veterique audet nihil indole dignum
Italia, assueta imperio frenare superbam
Barbariem: tibi miles erit, qui conterit arma
Indomitæ Babylonis, Achemeniasque sagittas
Vertit in auctoris jugulum: quo vindice in altis
Concidit Assyrium thalamis, dextrâque pependit
Fœmineâ caput, & Pharias bibit unda cohortes.
Stipabit manus Aligerûm pia castra, tuisque
Accedet signis Virtutum exercitus ingens.
Te pietas, Te dia Fides, Te sancta sequetur
Relligio: sed Perfidia, & Furor impius hostem,
Iraque mentisinops, atque auri cæca Libido,
Infelix comitatus, & omen triste suorum,
Quas contra ducet sacros Astræa maniplos,
Principe Te Latiis Virgo quæ præsidet oris,
Dextrâ immane gerens telum exitiale Tyrannis,